



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

S. Odilo Abbas. Cura defunctorum

[Köln], [1654]

S. Febronia Virgo M. Contemptus vitæ temporalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71907](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71907)



S. FEBRONIA VIRGO M.

Contemptus vite temporalis.

Deus, qui S. FEBRONIAM Virginem,
ad quævis tormenta pro fide sustinen-
da, insigni temporalis vitæ contemptu
obarmasti; da nobis, pro æterna con-
sequenda, præsentem parvi æstimare.

*Orapro regnis Orientis reducendis ad
fidem, &*

Sibapoli (forſan Niſibi) in Meſopotamia, vixit in monaſterio Bryenæ amitæ virgo FEBRONIA; miriſque adoleſcebat profectibus; quando illuc, ſub an. 304, appulit Lyſimachus, ex mandato Diocletiani exterminaturus Chriſtianos. Erat is matre Chriſtiana natus, nec male illis volebat ipſe; ſed comes idem & patruus Silenus, nepoti additus, ferro ac flamma ſæviens, ubi de FEBRONIA inaudivit, miſit qui extractam ex lectulo, quo decumbebat infirma, tribunali ſiſterent. Adſuit pro ſe pugnatuæ Chriſtus, tantumq; roboris juvenulæ addidit, ut traducta per omnia pœnarum genera, tandemq; uberibus, manibus, pedibusq; truncata, collum enſe ſecandum imperterrita dederit. Ad hæc cum animi mœrorem non poſſet diſſimulare Lyſimachus, ſua ſibi manu mortem conſcivit Silenus; & ille defunctę corpus Bryenæ reddidit. Ad hoc autem cum multiplicarentur miracula; perſecutione ceſſante, novam ipſi eccleſiam condidit Epiſcopus loci; & Paſſionem Thomais condiscipula ſcripſit. Poſtea Tranum in Apuliam delatæ, Reliquiæ ſunt in capſula, illuc ex naufragio per mare al-la-pſa: alibi aliæ eſſe dicuntur.

Eamus & nos, ut moriamur cum eo. Joan. II.